



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 6. Tumultus ob hoc connubium in Anglia suscitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.

A.C. 1554.

§. VI.

Tumultus ob hoc connubium in Anglia suscitati.*Pallav. l. 13.**c. 8. n. 7.**Spond hoc**ann. n. 1.*

Igitur hæc pacta die ultima Januarii fuere conclusa, ac utrinque firmata, ea tamen conditione adhuc adjecta, vi cuius Philippus hoc fœdus fore perpetuum jurejurando promittere pollicebatur. Attamen ad hujus rei famam fremente populo brevi in Anglia novi motus, ac querelæ excitabantur; Protestantes enim suam sectam abs dubio eliminari prævidebant: Catholici vero non parum Hispanorum imperium reformidabant, brevique universum Angliæ Regnum in Hispaniæ Provinciam redigi verebantur; præcipue autem insolito prorsus terrore concutiebantur, dum severa admodum supplicia, in Belgio, Mediolanensi Ducatu, Neapolis, & Siciliæ Regnis, ac præcipue in Indiis ab illis illata compererant; accusabantur enim Hispani, quod ibidem sævitiam nulla unquam ætate auditam exercuissent. Tandem ergo secretæ hæ indignationes in apertam erumpebant conjurationem contra Reginam, atque ad honestandam rebellionis nequitiam ejusdem connubium obtendebatur. Erant ex conjuratis præcipui Suffolciæ Dux, Thomas Viatus, & Petrus Carrus Equites. Horum

Horum postremus Corisupotanam, & Suffolciæ Dux Varvicensem, aliasque Provincias in medio Regni sitas concitabat: Viatus vero suorum factionem in Cantienſi Provincia contrahebat. Aſt Carus tam improvido conſilio rem aggrediebatur, ut detectus in Gallias auſſugere compelleretur, quapropter Viatus ſui conſilii executionem quantocius maturare cogebatur, quamvis conjuratorum ſententia eo abiſſet, ut Principis Philippi adventus in Regnum expectaretur, eo fine, ut ſeditionis abominatio prætextu magis honorifico velari poſſet.

§. VII.

Viatus conjurationis in Reginam conflatae caput.

Ergo Viatus cum exiguo militum numero raptim collecto Vigniæ-Madum contendit, ac per univerſam Cantienſem Provinciam promulgari jubet, quod Regina perverſis ſuorum conſiliis decepta Angliam duro ſervitutis jugo ſubjicere, ac Religionem per ſuum connubium cum extero Principe in discrimini exponere pararet. Post hæc Roſſiam uſque progreditur, ubi tamen Gubernator, etſi a Viato fuiſſet ſollicitatus, adeo non perverſo ejus conſilio cedebat, ut illum etiam arma ponere, ac

*Natal. l. 7.
in fin.*

*Thu. hiſt.
lib. 13.*

Hiſt. Eccleſ. Tom. XLII.

B proti-